1184 b 13.
7

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS M^cCAUSLAND,
BRITANNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

43.
10. 10.
340.

Viro Praeſtantiſſimo,

ARENT SCHUYLER DE PEYSTER,

Legionis Regiae (ſeu Octavae) peditum

Praefecto,

Ob pluria ejus beneficia

Sibi delata,

Hanc diſſertationem inauguralem,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

D. D. Cq.

AUCTOR.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

HEPATITIS, ſive jecinoris inflammatio, aut acuta, aut longa eſt.

DE HEPATITIDE ACUTA.

DEFINITIO.

" Pyrexia; hypochondrii dextri tenſio et do-
" lor, ſaepe pungens pleuritici inſtar, ſaepius
" obtuſus; dolor ad claviculam et ſummum
" humeri dextri; decubitus in ſiniſtrum latus

 " diffi-

" difficilis; dyſpnoea; tuſſis ſicca; vomitus; " ſingultus." Cullen. Synop. Noſol. Method. Gen. XVII.

HISTORIA.

Hepatitis acuta cum quodam frigore, alio in aliis, plerumque advenit; licet enim homo, utpote rei quaſi levioris negligens, nil tale animadverterit, attamen poſtea ſecum reputans facile recordatur memoriam temporis, quo aër ſibi ipſi frigidior ſolito, dum non ſanis item, ſentiebatur. Hoc autem frigus calor fugax alternis excipit. Protinus a principiis aeger non ſolum frigus ſentit, ſed corpus revera magis friget, quam naturaliter debet; mox vero, etiamſi frigus adhuc ſentiat, reipſa major quam naturalis calor corpori ineſt. Languor et laſſitudo plus minuſve opprimunt. Noctu praeſertim febris ingraveſcit, ac ſomnus per ſomnia tumultuoſus minime reficit. Os, aegro jamprimum experrecto, plerumque aret, licet ſaepe alias ſitis parum urget. Dolor quoque, aliquando levis parumque certus, aliquando gravior, hypochon-

drio

drio dextro insidet. Frequenter hic non, nisi uno et altero die post morbum conceptum praeterito, exoritur, interdum febriculam praecedit. Difficile quidem est omnes singulas hujus doloris conditiones recensere, quippe qui et gradu et loco maxime variet. Aliquando enim gravis, saepius levior; jam acutus et pungens respirationem valde impedit, jam obtusus ponderis magis sensum facessit; modo in hypochondrio, modo in thorace; modo in dorso, saepius in epigastrio aut scrobiculo cordis, varie, pro varia jecoris parte affecta, excruciat. Saepe in humero sentitur; hepatitidi vero tale indicium abesse interdum expertus credo. Homo plerumque in latus sinistrum aegre decumbit. Si manus, corpore scilicet resupinato, et musculis abdominis remissis, scrobiculo cordis, aut loco infra costarum inferiorum cartilagines admota fuerit, pars pressa dolet. Nonnunquam tumor partium juxta hepar sitarum insignis fit. Dolor aspiratione valida plerumque, tussi semper fere, intenditur. Tussis haud raro adest aut sicca, aut humida. Flavus oculorum et cutis color ab aliquot auctoribus hic memoratur; constat vero hunc saepe abesse. Interdum singultus, interdum vomitus vehementer fatigat. Appetentia cibi plerumque deficit;

deficit; interdum vero haud perinde, atque ex affectu viſceris, vitae adeo neceſſarii, opinione praecipi potuiſſet. Alvus, ut in aliis hujus generis, frequenter tarda eſt; diarrhoea vero nonnunquam urget. Pulſus arteriarum ſaepe durus, validus, plenus, creber; tales autem pulſus conditiones hic frequenter non aeque inſignes ſunt ac in multis aliis phlegmaſiis. Urina plerumque rubra, atque interdum ex ea ſubſidunt quaedam. Sanguis miſſus, et jam concretus, ſemper fere ſuperficiem albidam oſtendit. Mens parum alienatur; niſi forſan paulo ante mortem delirium ſupervenit, aut ex morbo diuturniore moeſtitia inceſſit; haec autem ſaepius hepatitidi longae accedere ſolet. Facies, initio morbi, haud aliter ſe habet quam in aliis phlegmaſiis, id eſt, vel parum mutatur, vel tumet ac rubet. Ingraveſcente autem morbo, eadem maceſcit, fuſcior interdum fit, ut et cutis totius corporis; haec vero ſaepe vel poſt morbum longiorem paulum ita variatur.

Febricula, dyſpnoea, ac dolor, morbi initio utcunque levia, indies fere augeſcunt. Denique, raro intra paucos dies definit; ſaepe tardius finitur.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Morbi, quos hepatitis adeo fortaſſe referat, ut de diſcrimine ambigi poſſit, ſunt praecipue pneumonia, gaſtritis, ac dolores muſculorum vicinorum rheumatici.

Pneumoniam aliquando referre videtur, tum ob difficultatem aſſignandi ſuam cuique moleſtiae internae propriam ſedem, tum ob hepatis intra coſtas ſitum. Hoc enim ſaepe ad quartam, immo vero ad tertiam uſque coſtam aſcendit, praeſertim ubi ex morbo valde tumeſcit. Cum vero partem ejus ſuperiorem inflammatio ſaepe occupet, nil mirum, ſi pro hepatitide quidam pneumoniam ſe vidiſſe crediderint. Accedit etiam, quod difficultas ſpirandi, et tuſſis, tam humida quam ſicca, hepatitidem ſaepe comitantur. Æger in pneumonia aliquando in latus ſiniſtrum decumbere poteſt, vix unquam in hepatitide. Denique, licet in pneumonia tuſſis gravior, ſputum ſaepius ſanguine mixtum, et difficultas ſpirandi major, confitendum tamen eſt, caſus incidere, ubi utrum morbus ſit pneumonia, an hepatitis,

patitis, haud facile eſt dictu; neque vero tum decernere multum refert.

Dolor quidem ex jecinoris lobi ſiniſtri inflammatione, iſque ex ventriculi eadem ortus, ſede fere ſimiles, ſpecie differunt; prior enim gravat, poſterior quaſi urit. Vomitus non ſemper in hepatitide, in gaſtritide ſemper, adeſt: Cibi potioneſque haud tantum moleſtiae faceſſunt; anxietas denique et debilitas non aeque ſentiuntur ac in gaſtritide, certe phlegmonodea dicta.

Poſtremo, ubi muſculi latera tegentes, frigore nempe admoto, dolore afficiuntur, tunc morbus a hepatitide plerumque facile diſtingui poteſt. Dolor enimvero non adeo certus, motu corporis praecipue excitatur; tactu locus indoleſcit, ideoque aeger in latus dextrum decumbere non vult.

Haud multum ſane periculi eſt, ne hepatitis acuta malis pyrexia vacantibus non dignoſcatur.

Porro autem ſcriptores nonnulla tradiderunt, quibus pateat, quaenam pars hepatis inflammatione magis laborat.

Cum morbus ſuperiori parti ineſt, tum ſingultus, dolor humeri, difficultas reſpirandi, ſimul cum lateris dextri dolore acutiore, inſigniora eſſe dicuntur. Si contra inflammatio parti infe-

inferiori insidet, tunc dolor obtusior, vomitus, interdum icterus, quoque adsunt.

EXITUS FREQUENTIORES.

Omnes quidem hepatis mutationes a statu sano, in cadaveribus observatas, inflammatione scilicet praegressa, recensere in animo non est; quippe quod in praesentia minime convenit. Oportet tamen exitus frequentiores proponere.

Resolutio saepe comitatur profluvio aliquo, aut sanguinis, aut bilis, aut sudoris, aut urinae, ex qua desidunt plurima, aut etiam fortasse, ut clar. Cullenus suis in praelectionibus submonere videtur, muci exscreatione.

Hepatitis quoque, ut aliae inflammationes internae, liquore glutinoso ab inflammata superficie exhalato, aliquando finiri creditur; heparque saepe talem per exhalationem vicinis partibus agglutinari satis constat.

Deinde, in suppurationem frequenter desinit, atque, integro etiam abscessu, mortem aliquando infert. Saepius vero pus aliquoversum erumpit, atque vel ex corpore prorsus ejicitur, vel in aliquod

quod ejus cavum effunditur. Ex corpore quidem elabitur aut per tracheam, pulmonibus et hepate ſepto tranſverſo conglutinatis, excretum: Aut per inteſtina, exitu nempe in ductus biliarios ſibimet comparato, abſceſſuſve parietibus cum inteſtinis concreſcentibus, atque ibidem foramine facto: Aut etiam per ventriculum, jecore ab inflammatione praecedente ei adhaerenti. Denique, foras prorumpit, concretione inter abdominis parietes atque hepar antea effecta. Cava, in quae pus ex abſceſſu profluere poteſt, ſunt ſaccus pericardii, pleurae alteruter, vel ſaccus peritonaei. In cavum abdominis effuſum, ibique aliquamdiu commorans, inteſtina nonnunquam erodit, atque ita per anum ejicitur. Denique, pus aliquando, ut fertur, venam cavam inferiorem aut venas cavas hepaticas erodit, atque in ſanguinem effunditur: Forte etiam per metaſtaſin ad alia loca corporis deponi poterit, et vario quidem eventu, pro diverſitate partis, quam occupat.

Tempus morbi, quo fit ſuppuratio, pro gradu inflammationis, aegri temperamento, ratione curationis, necnon pro natura coeli ac tempeſtatis, multum variat. Enimvero ſuppurationis indicia neque certa neque ſemper manifeſta ſunt. Dolor

lor imminutus, idemve ex acuto pulsans factus; sensus gravitatis in regione hypochondrii dextri, praesertim ubi aeger in latus sinistrum recumbit; fluctuatio in nonnullis casibus; horrores; accessiones febris majores, eaedemque vesperi repetentes; rubor genarum circumscriptior; haec sunt, omnium consensu, inter indicia suppurationis minus fallacia.

Denique, hepatitis in gangraenam transire potest; rarius autem fortasse quam nonnullae aliae inflammationes.

Postremo, saepe etiam in scirrhum abire dicitur. Cum vero aliquot clarissimi scriptores dubitant, an schirrus jure inter inflammationis exitus enumerari possit, de re adeo incerta hic disserere non expedit.

Variae quidem sunt species, quas hepar hoc vitio affectum cadavera inspicientibus offert: Quando autem iis cum praegressi morbi molestiis raro intercedit tanta necessitudo, ut huic illive jecoris conditioni sua respondeant propria indicia, istas hic memorare non operae pretium fore arbitror.

Facta jam hepatitidis acutae quasi adumbratione, supereſt ut quaedam de longa adjiciantur.

Satis quidem conſtat, jecur ſaepe inflammatione laborare, ubi nulla talis morbi indicia ante mortem extiterunt. Haud vero negandum eſt, ſigna hepatis hoc modo affecti, licet interdum ambigua et parum conſpicua, ſaepe deprehendi poſſe.

Ex propria experientia compertum habeo, quod hepatitis longa pluribus dyſpepſiam aliquando ſimulat; mihimet enim ipſi, aliquot ante annis in Americae Septentrionalis parte degenti, talis ſimilitudo, morbo nimirum incipiente, ſemel errorem attulit. Multos equidem aegros vidi, quibus jecur affectum eſſe minime dubitabam, licet eos dyſpepſia tantum aut diarrhoea tentari facile credi potuiſſet. Neque enim pauca ſunt ſigna, quae in hujuſmodi errorem inducere valeant; nam aeger ſaepe tantummodo de dolore falſo, quem ventriculi vocat, nec gravi nec conſtanti conqueritur, et alioquin vix male ſe habere affirmat; ructus dolorem ſublevat; aër, cibus intendunt, quippe quae hepar, ventriculo diſtento, comprimunt, et partes vicinas tendunt.

Experientia ſane edoctus, quatuor praecipue omnium indiciis crediderim. Si partes juxta ſcrobiculum cordis atque epigaſtrium tactu dolorem

lorem excitabant; ſi, creſcente morbo, aliquid caloris noctu exiſtebat; ſi ſanguis miſſus (eo nempe conſilio, ut quid certius appareret) et jam concretus, ſuperficiem albidam oſtendebat; ſi aeger quid levamenti ex ſanguine detracto experiebatur, tum demum jecoris inflammationem adeſſe veriſimillimum mihi viſum eſt. Hic autem admonere oportet, quod hepatis inflammationes, cum acutas, tum longas, eſſe in regione ſupra dicta admodum frequentes videbam; idque non tantum ex aegris vivis, ſed etiam ex cadaveribus compluribus inciſis, explorate perceptum eſt. Quoniam vero inſtituti ratio opuſculi plura referre de hac re prohibet, in praeſentia ſatis ſit dicere, quod ibi et calor aeſtatis et frigus hiemale multo majora ſunt quam in Britannia, tempeſtateſque adeo inaequales, ut aliquando thermometrum intra quatuordecim dierum ſpatium a gradu 95 ad 44 mutetur.

De Indiae Orientalis hepatitide nihil certi habeo, quod dicam, quippe quia hiſtoriam ejus plenam atque accuratam fruſtra adhuc quaeſivi. Videtur autem eſſe modo acuta, eaque comitata nonnunquam diris cruciatibus, modo longa.

CAUSÆ REMOTÆ.

A clar. Culleno primo memoratur vis externa hepatis regioni illata. Ubi, verbi cauſa, aliquis ex alto deciderit, hepati, utpote viſceri et pendulo et ponderoſo, ſemper fere maximus fiat concuſſus neceſſe eſt. Immo etiam injuria capitis, in primis qua calvaria vel findatur, vel medium deſidat, nonnunquam huic vitio locum dedit. Deinde recenſentur quaedam animi perturbationes, ira praecipue; calor aeſtatis fervidus; corporis exercitatio vehementior; febres remittentes atque intermittentes; frigus corpori externo, praeſertim in hepatis vicinia, admotum, aut aqua frigida ingeſta, quorum vero alterutrum homini jam calenti magis nocet; materies varii generis, tam ſolida quam fluida, in jecore collecta; inflammatio denique ipſius viſceris vetuſta. Poſtremo, nonnulli his uſum liquoris ſpirituoſi immodicum annumerant.

CAUSA PROXIMA.

Hepatitis eidem, atque aliae inflammationes, cauſae proximae deberi videtur, vaſorum ſcilicet partis motui adaucto, necnon ſpaſmo extrema eorum vexanti. De morbi ſede inter medicos parum convenit; alii enim credunt, modo hepatis ſubſtantiam, modo ejus membranam affici, docentque quomodo vitium alterum ab altero dignoſci queat. Alii autem putant, priorem ſemper, niſi in hepatitide longa, vitio vacare.

Enimvero, cum partes ipſae non, niſi poſt morbum graviorem, ubi inflammatio jam late ſe diffuderit, inſpici poſſunt, nil mirum ſi de hac re ambigitur.

Fabrica porro hepatis diſſenſioni occaſionem aperuit. Quoniam profecto ſanguis, qui in hoc viſcus influit, partim vena, partim arteria, vehatur, dubium eſt, utri malum potius inſideat.

Hac quidem de re diſputare in animo non eſt; quia tum celeberrimi ex recentioribus opiniones ex toto diverſas proponunt, tum res ipſa ad medicinae praxin parum ſpectare videtur.

Caeterum

CAUSÆ REMOTÆ.

A clar. Culleno primo memoratur vis externa hepatis regioni illata. Ubi, verbi cauſa, aliquis ex alto deciderit, hepati, utpote viſceri et pendulo et ponderoſo, ſemper fere maximus fiat concuſſus neceſſe eſt. Immo etiam injuria capitis, in primis qua calvaria vel findatur, vel medium deſidat, nonnunquam huic vitio locum dedit. Deinde recenſentur quaedam animi perturbationes, ira praecipue; calor aeſtatis fervidus; corporis exercitatio vehementior; febres remittentes atque intermittentes; frigus corpori externo, praeſertim in hepatis vicinia, admotum, aut aqua frigida ingeſta, quorum vero alterutrum homini jam calenti magis nocet; materies varii generis, tam ſolida quam fluida, in jecore collecta; inflammatio denique ipſius viſceris vetuſta. Poſtremo, nonnulli his uſum liquoris ſpirituoſi immodicum annumerant.

CAU-

CAUSA PROXIMA.

Hepatitis eidem, atque aliae inflammationes, cauſae proximae deberi videtur, vaſorum ſcilicet partis motui adaucto, necnon ſpaſmo extrema eorum vexanti. De morbi ſede inter medicos parum convenit; alii enim credunt, modo hepatis ſubſtantiam, modo ejus membranam affici, docentque quomodo vitium alterum ab altero dignoſci queat. Alii autem putant, priorem ſemper, niſi in hepatitide longa, vitio vacare.

Enimvero, cum partes ipſae non, niſi poſt morbum graviorem, ubi inflammatio jam late ſe diffuderit, inſpici poſſunt, nil mirum ſi de hac re ambigitur.

Fabrica porro hepatis diſſenſioni occaſionem aperuit. Quoniam profecto ſanguis, qui in hoc viſcus influit, partim vena, partim arteria, vehatur, dubium eſt, utri malum potius inſideat.

Hac quidem de re diſputare in animo non eſt; quia tum celeberrimi ex recentioribus opiniones ex toto diverſas proponunt, tum res ipſa ad medicinae praxin parum ſpectare videtur.

Caeterum

Caeterum ſatis conſtat, hepatitidem aliquatenus differre ab aliis inflammationibus; hae enim omnes locis frigidioribus, hieme aut vere maxime graſſantur, illa vero calore fervido ac diuturno ſaepe inducitur. Hydrargyrus deinde, qui in aliis nocere videtur, in hepatitide ſaepe eſt praeſtantiſſimum remedium. Denique, Cullenus ſua pro ſagaci inquiſitione quaeſtionem attulit, an calor, bilis nempe et copiam adaugens, et indolem mutans, hoc malum invehere poteſt?

EXPLICATIO SIGNORUM ALIQUOT.

Dolor.—Hic, ut jam dictum eſt, pro jecoris parte affecta multum variat; plerumque autem in hypochondrio dextro ſentitur.

Acrior fit, aegro in latus ſiniſtrum decumbente, vel ob jecoris pondus ipſum lateri dextro adhaerentis, vel ob ejuſdem pondus ligamentum dextrum intendens. Quoniam vero ligamentum ipſum inflammatione ſaepius laborat, utpote quod peritonaeo hepar tegenti continens, ejus intenſio dolorem neceſſario excitabit. Deinde,

aegro

aegro in latus dextrum decumbente, hepar per ſuperficiem amplam aequaliter omnino fulcitur; ideoque pondus ſuum nullam unam partem magis alia intendit. Dolor etiam ſummum humerum aliquando occupat, id quod nonnulli ex nervi tertii cervicalis diſtributione oriri putant; conſtat vero, talem nervorum nexum ſine ullo ſenſus conſortio toto in corpore deprehendi; contra quoque magnum ſaepe, ubi nexus nervorum non adeſt, ſenſus conſortium valet. Porro autem ſeptum tranſverſum aliquando inflammatione afficitur, aut in ſe orta, aut a pulmonibus illata, idque dolore humeri abſente. Enimvero membranarum magis quam nervorum nexus ſenſum partibus remotis faceſſere videtur; atque multa ſunt exempla, ubi dolor hoc modo faceſſitus tantummodo in membranae extremitate ſentitur. Dolorem itaque hoc in caſu ex hepate et ſepto tranſverſo per mediaſtinum uſque ad humerum pervenire ſimile vero videtur; hic autem nihil conſtitui poteſt, quod non incurrat in aliquam difficultatem.

Dyſpnoea.—Initio morbi dyſpnoea raro gravis eſt; aucta vero hepatis mole, plerumque plus minuſve aegrum infeſtat, impedito ſcilicet ſepti

tranſverſi

tranſverſi deſcenſu; adeo quo magis aſpiratio deficiat, eo reſpiratio fiat crebrior neceſſe eſt.

Tuſſis.—Omnis fere corporis ſtatus, qui reſpirationi obſtat, tuſſim tandem movet. Irritatio quoque pulmonibus ex hepate illata idem facit.

Singultus.—Ab irritatione aut ſepti tranſverſi, aut ventriculi, ſingultus oriri poteſt.

Icterus.—Inflammatio in hepatis inferioris ſuperficie orta, interdum uſque ad ductus bilem vehentes tendit, ibique hujus exitu inhibito icterum infert.

PROGNOSIS.

Haec quidem praecipue pendet a natura cauſae remotae, priore corporis ſtatu, natura denique et gradu ipſius morbi.

Hepatitis profecto acuta, quae ex diuturna naſcitur, plerumque periculoſior eſt. Deinde, ubi corpori jam alio morbo debilitato ſupervenit, plurimum mali inſtat. Æger, cui temperamentum ſit melancholicum, hoc malo ſaepe vincitur. Magna quidem pyrexia nunquam leviter terrere nos debet.

Pulſus

Pulſus arteriarum debilior, frequens autem et durus, ſitis ingens, dolor nihil diminutus, vires decedere, inflammationem vero vigere indicant. Dolor denique magnus, ſive acutus, ſive obtuſus, corpori gravitatem atque anxietatem animo faciens; tuſſis et dyſpnoea vexantes; ſanguis aliquoties jam miſſus, cruſtam denſam, craſſam, reſilientem, cum ſeri majore portione uſque oſtendens, nunquam non metuenda ſunt.

RATIO MEDENDI.

Conſilia, quibus huic vitio ſuccurritur, ad tria redigi poſſunt. Primum nempe eſt, quo ſanguinis impetus toto in corpore, praecipue autem hepate, nimis auctus diminuitur; alterum, quod ſpaſmum vaſorum extremorum diſcutit; tertium denique, quo quaedam gravius urgentia allevantur.

Horum quidem primo regimen antiphlogiſticum, ſanguinis detractio, alvum ſolventia, necnon quaecunque ſedantia refrigerant, ſatis commode conveniunt.

Regimen antiphlogiſticum.—Alia ſane ſunt, quibus ſtimulantibus corpus tam ſanum quam aegrum plerumque expoſitum eſt; alia quoque, ex morbo ipſo genita, quae vice ſua fiunt cauſae, malumque, unde profluxerunt, adaugent. Quae ambo genera evitare eſt regimen antiphlogiſticum; quod, licet morbum ex toto tollere nequeat, eum certe leviorem reddit, favetque deceſſioni.

Prioris ordinis ſunt omnia extrinſecus admota ſenſibus, ut lux, ſtrepitus, calor aut externus, aut ejus, qui corpore ipſo gignitur, congeſtus; exercitatio, ipſa etiam actio muſculorum ad ſtatum corporis erectum neceſſaria; cibus, carnis praeſertim, vel ſalſus, vel acer; inquieta denique cogitatio.

Poſterioris autem ſitis, ſtercus congeſtum, acrimonia humorum ex calore aucto defectuque alimenti orta.

Priora evitare ſat erit; poſteriora quam primum diluentibus ſubacidis affatim ingeſtis, clyſmis emollientibus, necnon medicamentis alvum ſolventibus, tollenda ſunt.

Sanguinis detractio.—Cum validior vaſorum actio multum ab diſtenſione pendeat, ſanguinis detractionem plerumque inflammationem minuere

ere in promptu eſt. Ex aetate vero, ſexu, mole ac robore corporis, temperamento, vitae genere, regione ac tempore anni, natura cauſae remotae, die morbi, diatheſi phlogiſtica, ſanguinis jam extracti ſpecie, et levamento inde experto, his omnibus rite perpenſis, ſtatuendum eſt, quantum mitti expediat. Quibus id quoque accedere poteſt, quod in hepatitide, quamvis aliquando largam ſanguinis miſſionem poſtulante, ſaepius minor, quam in pneumonia, et quibus aliis phlegmaſiis, commode reſpondet. Cujus quidem ratio fortaſſe ex eo petenda eſt, quod motus ſanguinis in hoc viſcere, ob peculiarem ſcilicet ejus fabricam, multo languidior eſt quam in aliis corporis partibus, pulmonibus praeſertim.

Permagni, ut in aliis phlegmaſiis, refert, ſanguinem primo quoque tempore mitti; namque inflammationis commoratio, etſi ſuppurationem non adhuc induxerit, tamen mutationem in partis ſtructura ſemper efficit, quae morbi reſolutioni non poteſt non obſtare. Ubi autem tantum ſanguinis e brachio miſſum fuerit, quantum vires aegri ſinant, et pyrexia poſtulare videatur, poſtea ſanguinem etiam de vicinis partibus, ſcarificatione nempe et cucurbitulis, demi nonnunquam prodeſt.

Alvum

Alvum ſolventia.—Talia certe in hepatitide melius proficiunt quam in pneumonia, quippe quia ex partibus jecori vicinis humorem evocant. Exinanitionem quoque corporis generalem praeſtant, eoque actionem vaſorum immodicam minuunt. Irritationem denique ortam acrimonia et diſtenſione, iiſque ipſis ex ſtercore diutius retento genitis, tollunt. Porro autem aqua tepida clyſteribus infuſa ſaepe multum adjuvat, utpote quae inteſtina fovet ac humectat, eoque motus inordinatos in partibus etiam remotis, per conſortium ſcilicet illud mirabile, quod inteſtinis toto cum corpore intercedit, prohibet; idque multo magis in hepate, quod colo tam propinquum eſt.

Medicamenta denique alvum ſolventia in hujuſmodi caſu ex ſalibus mediis praecipue eligi debent, quia talia non tantum effectus jam memoratos exhibent, ſed corpus aliquatenus refrigerant.

Sedantia.—Quae horum ad pyrexiam maxime faciunt, ſunt frigus, acida, et aliqua de ſalibus mediis.

Frigus, licet in pyrexiis quibuſdam remedium ſit praeſentiſſimum, tamen in phlegmaſiarum ordine raro auxiliatur; et plerumque abunde eſt calorem

calorem ſedulo evitare: Cum vero de ea re jam diximus, hic pluribus nihil opus eſt.

Acida, praecipue ex vegetabilibus deſumpta, et potu mixta, corpus refrigerant, et grata ſunt, ſitim ſedant, atque acrimoniam putrem arcent corriguntque. Ex ſalibus mediis refrigerantibus nitrum fortaſſe efficaciſſimum eſt. Sal denique ex acido vegetabili atque alkali fixo confectus haud raro adjuvat.

Deinde ad ſpaſmos vaſorum extremorum diſcutiendos pertinent fomenta calida, veſicatoria, necnon quaecunque exhalationem per cutem promovent.

Fomenta calida hepatis regioni admota, utpote quae cutem humectant, reſolvunt, ſenſumque excitant gratum, ſaepe nonnihil proficiunt. Hic autem omnino cavendum eſt, ne corpus frigori pateat, neu veſtimenta aut ſtragula ſint humida, neu fomenta ipſa nimis calida adhibeantur.

Veſicatoria.—Ubi morbus ſatis mitis eſt, aut, ſecundum praecepta jam tradita, larga ſanguinis detractio minime convenit, ſtatim poſt ſanguinem ſemel miſſum veſicatorium regioni hepatis admovendum eſt. Ubi autem morbus eſt gravior, conditioneſque flagitant ut ſanguis copioſe mittatur, tunc veſicatorium non niſi poſt alteram miſſionem

missionem admoveri debet. Quoniam vero hepatitis plerumque aliis phlegmasiis diuturnior est, vesicatorium idcirco iterum atque iterum adhiberi saepe oportet; cum eo tamen, ut semper in partem jecinori vicinam imponatur.

Medicamenta exhalationem per cutem promoventia.—Haec sunt vel diluentia, vel sales medii, vel vomitoria parvis adeo ponderibus ingesta, ut nauseam tantummodo moveant.

De diluentibus ac salibus mediis jam dictum est. Ex vomitoriis tartarus emeticus fortasse est efficacissimus, atque usui aptissimus. Illud autem ignorari non oportet, vomitionem in hoc morbo nunquam periculo vacare, quippe quae tum hepar comprimit et contundit, tum sanguinis cursum in vena portarum maxime auget. Cum igitur medicamenta hujusmodi vel parvo pondere adhibita, vomitum, nolente medico, aliquando excitant, satis constat, ea rarius esse danda. Denique, sudorem elicere per medicamenta calefacientia et calorem nunquam licet; imo etiam, nisi sudor toto ex corpore sua sponte proruperit, atque aliquid levamenti afferat, eum promovere raro expedit.

Postremo votum est, ut quaedam gravius urgentia alleventur.

Horum

Horum praecipua ſunt vomitus et ſingultus, quae eandem fere curationem poſtulant. Opium devoratum ea aliquando inhibet. Quoniam vero hoc effectus plerumque exigui temporis praeſtat, ac diatheſin phlogiſticam ſemper fere auget, omnino nunquam eo, niſi malo flagitante, tali modo utendum eſt. Atqui in inteſtinum rectum ex inferiore parte inditum minus nocere, ſuumque etiam ſedandi effectum exhibere, dicitur. Opium deinde atque aromata ſuper cordis ſcrobiculo, epithematis inſtar impoſita, interdum ad idem faciunt. Denique per veſicatorium eidem parti admotum frequenter ſatis commode proficitur.

Neque vero hydrargyrus ſilentio praetereundus eſt. Hic certe, praecipue illitus, in India Orientali ab omnibus valentiſſimus adverſus hepatitidem celebratur; eundemque profecto in regionibus haud aeque fervidis ſaepe quam commodiſſime reſpondere egomet expertus teſtor. Ubi ſanguinem frequentius mitti haudquaquam conveniebat, atque veſicatoria ſaepe adhibita minus auxiliabantur, ideoque morbus, etſi non paulum levatus, haud raro magna ex parte remanebat, tum denique hydrargyrus admotus effectus

tus mirificos brevi plerumque praestitit, multosque ad sanitatem veram perduxit.

Verum enimvero, hunc ipsum aegris robustis, etiam post exinanitiones haud parvas, vigente adhuc diathesi phlogistica, aliquoties nocuisse ex usu compertum habeo.

FINIS.